Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

de ipso canit S. Eulalia, quod ab adolescentia sua partim minuit infimos curare, et dedit illi Dominus claritatem magnam caecos illuminare et daemones effugare. - - - Sanctitate ergo et gratia plenus coronavit semetipsum usque ad consummationem vitae suae, ingressusque est feliciter in potentias Domini, in tabernaculum, quod fecit Deus et non homo, ubi videt Regem in decore suo, Jerusalem civitatem opulentam. Bonus odor Christi Ingenuinus bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit, commendato sibi grege credito Deo a Christo resonantibus angelicis vocibus et congratulantibus sanctorum agminibus in gaudium Domini sui laetabundus intravit.] Caeterum Ingenuinum a schismate resipiscere negas; facilius cum Roschmanno et Lestio negabo eum in illo perstitisse. Apud hunc in Anal. Sab. Sec. VI, annot. 290 Auctor Vindiciarum Martyrologii Romani de SS. Cassiano et Ingenuino: Sicut nullum certum habetur de resipiscentia Ingenuini testimonium: ita quoque nullum exstat de ejus obstinato in Schismate animo ad obitum usque. Quin imo ipsum a schismate antea mortem recessisse, ex antiquissimo post mortem cultu eidem constanter delato satis luculenter colligimus. Sicut enim traditione ac consuetudine accepimus ejus sanctitatem, ita quoque resipiscentiam.

75) Martyrologium Romanum ad Nonas Februarii: Brixinone sanctorum Episcoporum Genuini et Albini, quorum vita miraculis exstitit gloriosa. Annotat Baronius: Aliqui codices pro Genuino legunt Ingenuinum. Viderat ergo hic eminentissimus Auctor plures Martyrologiorum codices, quorum alii Genuinum alii Ingenuinum habebant. Non igitur, quod vult Tarrotius precario modo in Martyrologium inrepsit Ingenuinus; sed multo antea Martyrologio suo inseritur. Stiltingus ad Act. SS. ad 5 Septembris: Textus apud Florentinium sic habet. In Alexandria Natalis Sanctorum Nemesidi, Saturnini: et Depositio beati Ingenui Episcopi cum Sociis suis. Martyrologium Corbejense, ad eundem diem: Depositio beati Ingenuini cum Sociis suis, quorum nomina Deus scit. Antverpiense vetustissimum ad eundem diem: Ingenui Episcopi. Sabanus ad eundem diem: Depositio beati Ingenui Episcopi. Castellanus in Martyrologio universali adhuc diem (Nonas Sept.) annuntiat S. Ingenuinum vel Genuinum Sabionensem Episcopum. Et ad diem V Februarii indubitanter asserit, S. Ingenuinum obiisse V Septembris.

[Observatione speciali digni sunt versiculi dignus est Anonymus Ratisbonensis apud Mabillonium, in Chronico Episcoporum Salisburgensium, Ratisbonensium, Frisingensium, Pataviensium ac Sabionensium. Nulli enim Episcopo titulum Almus tribuit praeterquam Liperto Salisburgensi, Corbiniano ac Nitton, Frisingensibus, et Ingenuino Sabionensi; de quo canit.

Haec sedis Vallis Noricae dicta Sebana
Ingenuinus habens primo quam rexerat almus,
Mastulo secundus, sedit que regendo Cathedram
Post illum Pastor servavit ovile Johannes
Praesul Almus erat meritis qui et dogmate gratus
Quintus honore sedet ill. (Henricus) fultus eodem.

Etsi complures Episcopos hic auctor omiserit, de sanctitate tamen Ingenuini satis congruum probat testimonium.

(nempe Martyrologii antiqui Lucae in Italia reperti)